

G-F 15221

The image displays a full-page view of marbled paper. The pattern is a complex, organic swirl of dark grey, black, and light grey/white tones, characteristic of a traditional marbling technique. The lines are fluid and interconnected, creating a sense of movement and depth. The overall appearance is that of a high-quality, vintage-style decorative paper.

DG 22

A

+164530

C 71210857

R. 201384

ORATIO

IN SOLEMNI STUDIORUM ANNIVERSARIA INSTAURATIONE

DIE 18 OCTOBRIIS ANN. 1825

CORAM

PERILLUST. VALDOLITANA REGIA UNIVERSITATE

HABITA

A MAG. FR. FRANCISCO BARRIO,
*in prædicta Academia Doct. Theolog. ac prima-
riæ pro sua Religione S. P. Francisci Cathed.
Moderatore.*



VALLISOLETI: APUD APARICIO.

ORATIO

IN SOLEMNI STUDIOUM UNIVERSITATIS INSTAURATIONE

DIE 18 OCTOBRI ANNI 1825

CORAM

Ō fortunatos nimium, sua si bona norint!
P. 88. II, v. 458. REGIA UNIVERSITATE

HABITA

A MAG. FR. FRANCISCO BARRIO
in predicta Academia Doct. Theolog. ac prima-
rie pro sua Religione S. P. Francisci Cathol.
Moderatore.



VALLEJO: ARD. FRANCISCO

*De præclaribus ex nostra fluentibus studiorum lege
utilitatibus.*

ORATIO.

Duobus ab hinc annis, horrendam cogitandi libertatem, quam in litterarum perniciem, morum corruptionem, et publicæ omnis foelicitatis exterminium, tempora nubila pepererunt, ab Academiis, ab omnium corde pellendam, asserui. Quanta hinc ad optimam juvenum institutionem speranda, nec vos latebat, nec iterum ob oculos ponere juvat. Fore enim ut bonorum omnium mortali hoc extincto inimico, ad nos bona omnia manarent, humanus quisque pervidebit. Ast cum studia mea hæc, quæ Hispanis, hoc nomine dignis, æque erant in votis, pro libitu hominum animos fingere non valerent, nec effrænes cupiditates sedare; ac benignam illam cuique impartiri indolem, ex qua fidelitatis in Regem, amoris in patriam, propensionis in litteras, ac in Religione retinenda constantiæ semina spontè fluunt: Deum Opt. Max. fassis è corde precibus orabamus, ut queis placuerit remediis tot benigniter malis occurreret.

Non in vanum abiit oratio. Regum omnium amantissimus noster FERDINANDUS, arduum illud, ac inaccessum tot vulneribus medendi opus, perditorum hominum, qui omnia susdeque verte-

runt, rebellione minimè dejectus, Dei dono ar-
denti corde meditabatur: atque pro illo, quo in
litterariam rempublicam tenetur amore, claram
majorum nostrorum gloriam, novatorum artibus
profligatam, et humi afflictam erigere; Lycaeis,
Academiis, non levi ex parte corruptis, decus pris-
tinum, et honorem restituere, optimis disciplinis
pretium, et incitamenta donare: ac populo nimis
charo novos homines, cives emeritos, mores pla-
cidos, integerrimos Magistratus, Altaris præclaros
Ministros providere, omnisque rebellionis germen
penitus extinguere satagebat.

Nec serò, aut in longum suas distulit cogita-
tiones: quibus enim tenebatur solutis compedibus,
à libertatis momento legem, quæ præconcepta vota
opere completeret, tulit, ac sanctione firmatam vo-
luit. Jam scientiarum Athenæa toties expetita mo-
derantur lege. ;O rem auditu mirabilem! Qui nos-
trorum temporum historiam contemplatus fuerit,
atque manu contrectaverit imperii, ac Hispani po-
puli iteratas conversiones: externa, et intestina bella,
quæ viginti ab hinc annis gentem, meliori fortuna
dignam, vexaverunt: qui redditus ad juvandas ar-
tes planè distractos viderit; publicos autem im-
menso alieno ære gravatos; is animo concipiet,
Monarcham, è solio ab ingressu injuria dejectum,
quinquennali exilio mulctatum, á rebellibus sub-
ditis, non multo post redditum, pejori catena cons-
trictum, et undequaque mœrore, lachrymis; eges-

tate, ac civium calamitatibus circumseptum: hunc, inquam, FERDINANDUM tot infortunia expertum, satis fortitudinis, ac Regiæ beneficentiæ habuisse, ut injuriæ immemor, se civium suorum commodis totum devoverit? Vidimus, et obstupescimus.

Hoc, perillustris Academia, et Auditores ornatiss., opus illud, cui simile fortè in temporum fastis frustra requiretur; quodque tenerrimis grati animi sensibus, est nobis æterne laudandum. Hac de causa non injucundam fore orationem cogitavi, in qua ex nova studiorum norma præclaras utilitates, in reipublicæ literariæ gratiam, communeque sive privatum commodum, manantes, brevi percurrerem calamo. Ergo si liceat mihi per vos, is argumenti scopus. Interea pro vestra in me benevolentia favete.

Onus suscepti, quod ferre recussant humeri. Non enim is ego sum, quem tanta rerum copia, et eruditio ornent, ut de omnibus et singulis, quæ ad artium humano generi utilium profectum, accuratam juventutis institutionem, Magistrorum pulcherrimam gloriam, et præteritorum casuum repagulum in nova studiorum methodo continentur; quidpiam jure definire possim. Hisce pressus angustiis, venio ad præcipuas memoratæ legis utilitates percensendas; in qua, si quid ego sapio, egregiam litteris operam navantibus, via, et comoda ad scientias comparandas offeruntur. Hanc bipartitam sequamur methodum.

I. Sunt quidem scientiæ aliæ societati peruti-
les, quæque eam mirum ornant in modum, aliæ
è contra adeo necessariae, sine quibus nulla stabit
respublica, aut fœlicitatem assequetur nunquam.
;Ad has autem omnes, quis nova studiorum lege
negabit apertam viam? Neque enim audiendi sunt
loquaculi homunciones illi, qui rerum ignorantia
laborantes, immortalem majorum nostrorum in
omni litterarum peritia altè contemnentes glo-
riam; ac veluti in patriam, quæ eos genuit, fovet,
honorat, et forte nimis indulgens adhuc sustinet,
mortali arderent invidia; nil in pretio habent nisi
quod in longinquis regionibus cogitatur, auditur,
typis mandatur, politica aut artibus invenitur.
Unde exterorum Hispaniæ æmulorum malevo-
lentiæ fœderati, garrulè, stolidèque conclamitant:
Nova lex! Nova studiorum methodus! ;Et quid
tandem illa?... ;Ubinam Historia? ;Ubi Nautices....
Politices?... ;Hiascit animus: et nœnias referre pu-
det! Vellent scioli isti singulis Provinciis, aut etiam
Urbibus chymices laboratoria erigi, et hortus bo-
tanicos; bardosque, et hebetes homines sublimia
Matheseos, aut naturæ arcana edoceri; et cum vocu-
lis non rerum substantia alantur; novam irrident
studiorum legem; quoniam architecturæ nomina
zoologiæ, ideologiæ, fortificationis, geodesiæ, alia-
que id genus ibi distinctè non legunt. ;Ah! nimium
certè ridendi!...

Non hic, auditores amplissimi, ad hos gloriæ

nostræ nebulones pellendos, discutienda est prolixa analysi, studiorum norma. Ut juventutis hispanæ erga litteras inflammetur ardor satis erit, elementa de omni præclara re, quæ hac lege continentur, in medium proferre. Scitote igitur, Adolescentes optimi, non vobis superandos esse Pyri-næos, non Mediterraneum, aut Oceanum enavigandos Mares; sed nec Britannos petendos, ut quaruncumque artium, sive scientiarum omnium præclarissimos Doctores habeatis, et Magistros. Hispanorum Heroum ab orbe culto ad hæc usque tempora, scripta, volumina, inventa, et labores ob oculos ad imitandum habete. Jugi autem meditatione, novæque methodi auxiliis, eorundem in litteris nanciscemini immortalis gloriæ culmen.

Itaque sunt inter vos, qui poeseos pulcherri-
ma specie capti, Mussarum dulcisona carmina au-
dire totis anhelent præcordiis, aut qui arti benè,
ornatè, graviterque dicendi se mancipari, vel lin-
guarum studiis delectentur? En vobis ad Mussas
colendas aperta, et parata via: en ad Rethoricam:
en ad linguas discendas. Legite hujusce legis titu-
lum tertium, qui de his artibus, quæ humanita-
tem decorant, totus est. Ibi à charissimo FERDI-
NANDO totius Grammatices, Poesis, Rethoricæ, lin-
guarum Græcæ, Arabicæ, et Hæbraicæ studia, et
elementa propinantur, ut postquam labore, et
constantia celebriores, his de rebus tractatores,
colueritis, hispanis Nebrixa, Carrillo, Sanchez, Co-

lonia, et Zamora, (adjunctis Pasini, et Erpenio) manuducti, æternum illud, quod patriæ attulerunt, laudis nomen Lucani nostri, Martialis, Quintilianus, Latio Porcius, Damasus, Prudentius Polyglottæ directores, Lulius, Vives: totque alii benè multi, vos etiam ipsi emereri possitis.

Quidam fortè erunt, qui veri nominis philosophiæ pallio ornari cupientes, ad contemplanda totius naturæ, quam latè patent, opera, et arcana, animum vertant, Quanta his in nova studiorum norma præsto sunt, ut votis respondeat eventus! Hic annorum periodos, Lunæ, Solisque vias, Astro-
rorum cursus iteratos et ortus, et occasus, eorum recessus, et defectiones, et qui videntur status discendi facultatem habebit, qui Magni Alphonsi nostri exemplo percussus, tabulas astronomicas elaborare tentarit, ut admirationis, ac stuporis, quem ille, posteris monumenta relinquat. Illic mathematica, geographica, cosmographica, etiam et nautica invenient semina, qui Cani nostri (Magni Columbi socii, et Navarchæ) Georgii item Joannis, se filios gloriantes, undarum victores, quod illi, in generationes sæculorum nominari percupiant. Hic Mechanicam, sicut et agrorum culturæ et negotiationi utilis, ita ad artes omnes juvandas: hic hydrostaticam, hydraulicam, aerometriam ad fluidorum vires, et phænomena in humanorum utilitatem callenda: hic insuper habebit Opticam, Dioptricam, Catoptricam Mineralogiam..... Verbo totam

hanc rerum universitatem, quam sapientissimus Mundi Opifex Deus homini objecit, ad contemplationem, et raptum. ; Quid plura?

Libet, quandiu huc ventum est, de arte Medica loqui. ; Quidnam Medicus? Sane, quod huic decori, et gloriæ esse potest, humanitatique solatio, id ad votum nova FERDINANDI lege statutum reperies. ; Vis Medicum Anatomiam callentem; Physiologiæ, Patologiæ, Hygienes sive privatae, sive publicæ perfectè gnarum?... Hygienes, Patologiæ, Physiologiæ, et Anatomiae cathedras FERDINANDUS offert. Offert et Magistros, qui juventutem hispanam his, quam latè patent notionibus imbuant. ; Placet mendedi Professores materiam medicam, Medicinam legalem, quæ dicitur, affectus internos, Clinicam, bibliographiam medicam doceantur? Adest facultas; non desunt Athenæa. Sed auxiliatrices scientiæ, inquis..... ; At quæ illæ? ; Mathesis? ; Philosophia? ; Græcæ linguæ peritia? Experimenta physices? Topograficæ, et Metereologicæ observationes? Quimicæ, et Botanicæ elementa?... ; Proh! unam ex his proferto, cujus ediscendæ facultate orbatus sit Medicinæ studiosus!.....

Ad avitam autem illam majorum nostrorum in arte medica gloriam aucupandam satis profectò elementales istæ cognitiones sunt, labore adjuncto, et constantia. Cave enim ne perfunctoriis quibusdam lectionibus, studiorum manugestando legem, thecnicisque vocibus, quæ plebeiis misterio similia vi-

dentur, solummodo retentis; jam jam ad honoris culmen attigisse videaris. Hominis seu bene valentis, seu ægritudinum languore correpti, æternum, quod dicam, studium qua domi, qua Nosocomiis adhibendum: Medicinæ historiam ab homine hispano, omnium primam, in lucem editam, novique mundi botanica descriptione ornatam, nocturna versandam manu, pariterque diurna, celeberrimosque Apollineæ hujusce facultatis Magistros non interruptè meditandos, probè sciunt hi, qui medendi beneficio, humanorum animos sibi amore devinctos voluere.

Cum juris Cæsarei nomen, restituta methodus, et gloria, sese mihi ad contemplandum offerunt, præ gaudio penè verba deficiunt, quamvis ad dicendum coram tot illustrium juris Professorum cœtu, de re adeo præclara me planè imparatum candidè fateor. Verumenimvero, quæ novatorum, teterrimis hisce diebus oborta fuerunt deliria, ad convellendas tutas illas, et veras juris publici è natura, et religione haustas, et expressas notiones in cineres trita, non iterum reviviscenda video, et gestio. Jam satis cœco datum est furori. Gaudete item vos, qui prudentiam juris colere decrevistis: et ne contorqueatis os, si studiorum iterum normam compello ad immortalem juris lauream capessendam.

Non equidem in illa Barbeyrac, Burlamaquium, Holbac, Montesquieu: non Benjaminum

illum Constantium legendos reperietis, qui rebellionis germen, naturalismi semina, et conscientiae libertatem aureo cratere, et vobis insciis propinarent. Non item Rusojii illius, Volterrii, aut aliorum id genus publicistarum timidæ, erroneæ, impiæque fabulationes, et scripta vobis proponuntur, quibus scientiæ juris loco, mortiferum, omni ex parte, ad morum licentiam, dominationemque spernendam, haurietis venenum. Sed neque Tollandi, Wolstonii, et Collinsii de civitate constituenda deliramenta, qui eo dementiæ pervenerunt, ut assererent, se posse construere Civitatem, et efficere ut constructa staret, à qua quævis Dei notio, et religio amandaretur. ; Præclaram enim vero urbem ad Philosophorum domicilium!

Somniantium istorum somniis contemptis, egregia vobis offertur occasio ad prisca illa cum recentia, Hispaniæ universæ æternum decus, tempora adducenda: queis civilis prudentiæ omnis tot heroas, tot artis politicæ peritissimos, et rerum gerendarum dexteros, secum habuit Hispania, Magistros. Ne singula autem fastidienti analysi percurram, quæ de re civili nova statuuntur methodo: ; quibus, quæso, aliis instrumentis ingentia juris clarissima possidemus lumina, quibus vel ipsi Grotij, Heineccij, et Pufendorfij totas sæpe implent paginas? ; Quo pacto hispani illi Trajanus, Hadrianus, et Magnus Theodosius Rempublicam laudabiliter adeo administrarunt, atque Hesperiae nomen

nimum Romanis reddidere gloriosum? Et immortale illud, atque æternè victurum, Alphonsi decimi de jure civili opus, quam ratione efformatum, et ad nos usque pervenit?

Nescio an majores nostri ad stupendam juris, quam habuerunt, scientiam, hisce possent, quæ vobis in promptu sunt, excitamentis gloriari. Nec contemnendum illud, tam sapientè à FERDINANDO excogitatum. Oratoriæ Academiam loquor. Qua divinum, et triumphatrix eloquentiæ donum excollere, orationum forensium tum speculativas, cum practicas leges adipisci, vobis datum est, ut quod agebat Tullius, (I. de Oratore) *populi motus, judicum religiones, senatusque gravitas unius oratione converti possint.* Quis igitur non speret post Vivem, post Alonensem Martinium, post Monlorium, Finistresios, et Majansios, fore ut tot patriæ iterum Quintiliani nascentur, quot juris civilis studiosi juvenes?

Ne verbulum quidem hucusque de restituta Sacrorum Canonum discendorum methodo, et Theologiæ tradendæ via: quæ inter omnes alias, Reipublicæ qua necessarias, qua utiles facultates, tum dignitate, cum beneficiorum præstantia, primatum tenet. At, quid splendidius aliud in tota studiorum norma videre est, quam FERDINANDI pietas in Deum, in Religionem amor, et in Ecclesiæ leges filialis observantia? Quæ cum ita sint hoc unum; ne in longum nimis abeat oratio, ob ocu-

los ponere censui. Non jam eformandi illi postremae hujus ætatis sunt juris canonici pseudoprofessores; sed nec furentes theologi, quorum ne nomina referam detineor modestia; quique reformatorum agmini, versipellique Jansenistarum sectæ manus præbentes, Religioni divinæ, supremo Ecclesiæ visibili capiti, et utriusque legibus dirum paravere bellum. Dum FERDINANDUS tutam, ab omnique errandi periculo immunem, his facultatibus tradendis, designat viam; cum Scripturam divinam religiosè nominat, Christi Servatoris adventum, misteria, mortem, leges, Sacramenta, gratias ad hominem beandum. Cum Ecclesiæ sive universam, sive hispanam jubet disciplinam addiscendam: pacta etiam Altare inter, et thronum inita, novamque ecclesiasticam collectionem; quid his sibi vellet charissimi?

Ni mea me fallit opinio; attendite, ad nos loquitur omnes, attendite ad petram unde scissi estis: considerate patres vestros immortales illos Hosios, Ildephonsos, Braulios, Vincentios, Isidoros, et Fulgentios, Idatios, Tajones, Rodericos, Abulensem, et Burgensem Alphonsos toto orbe, et Sirmiæ, et Romæ, et Constantiæ, et Basileæ celebratissimos: in memoriam adducite Ecclesiæ nostræ clariora comitia, plena laudis, plena immortalis gloriæ: festinate ad Tridentum: aspiciete ingentem illam hispanorum Patrum, et omne genus Doctorum catervam; qua majestate viros! qua vir-

tute ;qua sapientia præditos! Hos imitemini: eorum pro viribus scripta, et doctrinam, ad Ecclesiæ, et patriæ solatium, teneatis oro..... Tenerrimis his respondendo votis ;ubinam gentium theologi, aut canonum professores habebuntur clariores?..

Hæc, ut nova studiorum lex appellari meritò possit ad scientias comparandas via: nunc quæ pro iisdem avida contentione adipiscendis offert commoda.

II. ;Quam ingentia, et præclara illa sunt! quam æternæ gratitudinis digna! *Clara est equidem, et quæ nunquam marcescit sapientiæ gloria;.. et si divitiæ appetuntur in vita ;quid sapientia locupletius quæ operatur omnia?* Ergo satis præmium est ipsa sibi. Hæc quidem vera sunt; unde egregia Div. Bernardi sententia; (sermo 36 in Cant.) non divitiarum: non gloriæ inanis cupidine descendam esse sapientiam; at pulchritudinis potius, et honestatis illius amore, proque privata sive publica vera fœlicitate. Ast cum homo etiam hac, quæ paucorum est perfectione, ad sapientiam ritè comparatus, impensas, permagnos labores, valetudinis jacturam, multaque alia incommoda subire debeat, ne his frangatur animus ad divinum sapientiæ donum, Reipublicæ adeo necessarium; statuenda his sunt præmia, quibus certamina illa dura proponuntur.

Hinc tot, sapientibus, apud Nationes cultas honores decreti, tot sarta, et laurea. Hinc Regum nostrorum cura ad fovendos sapientes, remque

litterariam excitandam, qua præmiorum spe; qua splendida stipendiorum collatione; omni demum conatu. Actum agere apud vos O. A. viderer, si quæ passim in historia nostra Regiæ beneficentiæ monumenta, ad bonarum Artium fortunam amplificandam recensentur, ob oculos ponerem. Ingratum, qui ea pernegare tentarit, hæc ipsa, hujus ædificii saxa, et parietes, tot Collegia, et Gymnasia ubique provinciarum erecta, impudentiæ ac mendacii graviter arguerent.

Et quid tandem FERDINANDO, præ cæteris Hispaniæ, debetur, Regibus, ut litterarum fautor, et sapientum Mecenas appellari meruerit? Injuria FERDINANDI est, veritatem luce meridiana clariorem, momentis stabilire. Cogor tamen ut proposito faciam satis. Sunt quidem FERDINANDO, et Progenitoribus ejus communia multa litterarum amatoribus, et calcaria, et præmia decreta: at illustria illa, et egregia; quæque omnibus immortale in generationibus nomen dabunt. Verum nihil quod FERDINANDI solius sit? Heu boni Superi! Primum ad Magistros quod attinet. Pro magno ab antiquis diebus habitum est, atque nostram usque pervenit ætatem; quod Archelaus, Macedoniae Rex, Euripidem: Hieron Syracusanus, Pindarum aluerit, summaque liberalitate complexi sint. Æternæ mandatur memoriæ Socratem illum magnum, divinum quoddam tutelæ numen in præclaro invenisse Alcibiade: quod beneficium Demosthenes sin-

gulis Reipublicæ Atheniensis civibus debuit....

Quantam tibi, FERDINANDE, dulcis apud generationes posteras laus manebit! qui non Euripidem unum, non Pindarum tantum, neque Socratem, aut Demosthenem foves solummodo, ac alios: verum enim vero Poetis, Rethoribus, Philosophis, Oratoribus, Naturalistis, Jurisconsultibus, verbo dicam, Magistris omnibus honores decernis, stipendia elargiris, spondes præmia, tamque liberaliter eorum commodis invigilas, quantum vires patriæ ferre vix quisque credat. Non fabellas, aut somnia refero. Quis enim è misera inopiæ, in qua jacebant, calamitate, tot eripuit chathedrarum Moderatores? FERDINANDUS nova studiorum lege. Quis scientiarum omnium Professoribus, ne molesta alendæ vitæ cura, à studiis arceantur, honestos attribuit redditus? FERDINANDUS hac ipsa eadem lege. Quis Medicinam summo evexit honori, bonas artes, scientiasque naturales mirum in modum ornat, ac fovet? Solus FERDINANDUS noster lata pro studiis lege. Quis Academias sive Oratoriæ, sive Practicæ forensis..... At nimium vestra morarer tempora, si cuncta FERDINANDI erga Professores beneficia sermone comprehendere tentarim.

Vos scitis metipsi quidnam omnium facultatum Molerantes Academias, Professorumque vices gerentes Regiæ debeant munificentiae FERDINANDI. Considerate insuper præclaras sponsiones utriusque juris Professoribus, et Theologis factas, post-

quam decennium laudabiliter docuerint. Videte quæ Clinicis Magistris: quæ cujuslibet elementalis operis Auctoribus: quæ tandem promittantur eis, qui é vernaculo in latinum vertant sermonem quempiam ex libris, pro textu, nova methodo designatis; et his liquido fiet, quam peramanter dulci Magistrorum fovendæ vitæ, FERDINANDUS commoda providerit.

Nec tu hispana studiosa juvenus á visceribus, tenerrimaque Regis dilectione aliena, immo tu ipsi altè cordi es. Ita sane juvenes præclari, qui macti ingenio, et virtute egregiam litteris navatis operam. Nam socordes, gnavos, exmores, otio, et luxuriæ indulgentes, nec nominasse religio est. Vos ergo, qui FERDINANDI estis deliciæ, vos alloquor. Quidquid hac nova lege captum; quæcumque ibi sancita: quæ sive firmantur, seu novo ponuntur ordine, hæc omnia respiciunt vos; ad vos tendunt. Tum ad animi culturam, et ornatum, cum ad vitæ civilis perfectionem, et fœlicitatem promovendam. Ita tercentos quadraginta duos articulos, quibus tota hæc comprehenditur norma; quasi totidem erga vos beneficia computare debetis. Sive enim disciplinas, et scientias tradendas consideretis: sive earum Professores, et ipsis attributos honores, commoda, aut quidquid aliud ibi est, id totum ad vos fluit, vestramque habet pro objecto gloriam, et fortunam. Nonne ad Togam, ad Ecclesiæ præbendas, ad Cathedras, ad primas in

societate sedes adipiscendas, iis beneficiis prove-
hemini?

Ut hæc vobis cedant foeliciter, en taxatas ex-
pensas ad gradus omnes academicos suscipiendos.
Sed nec supremis carebit honoribus, qui omni
humana ope destitutus, in egestate versatur. Si
enim studiis, ingenio, et moribus inter alios emi-
neat, etiam Doctoratus laurea omnino gratis dona-
bitur. ; Dignam FERDINANDO legem!... Vestrum erit
sic currere, ut hunc adipisci honorem possitis.

Jam brevibus de veri nominis foelicitate, quam
Reipublicæ litterariæ novissima studiorum lex affert.
Ita confidenter voco non satis laudandam cogitatio-
nem, qua cujuscumque facultatis alumnis, injun-
git, quintum suorum studiorum annum Religioni
divinæ vovere. Et sane præstantia illa dona hucus-
que recensita: tot artes, tot scientiæ: præclara Ma-
gistorum caterva: honores, fortunæ, et plausus,
qui egregiam litterarum professionem comitantur,
; quid tandem sive privatæ, sive publicæ hominum
foelicitati, dempta Religione divina, moribusque ea
dignis deficientibus, prodesse? ; Heu me! evanes-
cerent omnia penitus, et velut umbra præterirent.

Reperirentur fortè Philosophi, scientiarum Doc-
tores cum de rebus aliis, *de virtutibus, et vitiis*, ut
Augustini verbis utar, (Tract. 45 in Joan.) *subtilia
multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocina-
tiones acutissimas concludentes, libros implentes,
suam sapientiam, buccis crepantibus ventilantes, qui*

etiam dicere auderent hominibus: nos sequimini: sectam nostram tenete si vultis beatè vivere. At quorsum tandem, aut quid sibi vellet vana hæc, et tumida scientia? *Perdere, mactare, et occidere; et morte quidem dirissima omnium.* Id non jam rationum momentis stabiliendum: malo nostro didicimus ad quæ infanda, et proclivia, cursu eat veloci, animus à religione alienus, quamque feroci ictu societatis fundamenta concuciat, et evellat.

Ne hujus contagionis germen vos, Adolescentes optimi, foedo ulcere sauciet; adest, à charissimo FERDINANDO in scholas vocata, adest religio divina scientiarum amica, altrix; at potius foecunda parens: quam sedulo ediscentes animo à philosophantium deliriis, qui videntur magnam sibi assumpsisse religionem, quoniam nullam respuunt falsitatem; tuti esse possitis. Ea Magistra docebimini *nil prodesse bene vivere, cui non datur semper vivere.* Ea inspirante cognoscetis, quam stultè de honestate, *de benè vivendi fortuna gloriantur, qui finem benè vivendi, vel cœcitate nesciunt, vel inflatione contemnuunt.* Ea doctore dulcissimis haurietis poculis, *nulli adesse spem veram, et certam bene vivendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus;* ipsumque in Evangelio loquentem, incunctantèr audiat. Quid ad hæc pulcherrima omnium bona?

En perillustris Academia, et O. A., quas, è nova studiorum lege fluentes præclaras judicavi utilitates: quæque, ut litterarum splendor nascatur ite-

rum, ad optimam juvenum institutionem, ad mo-
res laudabiliter formandos, ad totius in patria boni
incrementum, satis superque sunt. ; *Utinam hi...*
saperent, et intelligerent! ; O fortunatos nimium, sua
si bona norint!

Immortales igitur Domino nostro FERDINANDO
referantur gratiae: è cuius pio, benevoloque in lit-
teras Regio animo latam illam legem, tot bonorum
oficinam, accepimus. Et Deus O. M. sine quo nihil
est sanctum, nil validum, piis ejus dignetur favere
votis: ipsumque cum Regia tota Stirpe, protegat,
ac respiciat ore sereno. *DIXI*



